



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Elaborata editio Catechismi quænam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

rum, quanto Hæreticorum fremitu, strepituque
 (quæ commendatio est certissima) quanto de
 mum, quod caput est, religionis profectu recepi-
 sit. Louanienses quidem Doctores publico a-
 probauere suffragio. Quippe cum Philippus
 cundus Hispaniarum Rex ad præmuniendos
 Regnis, atque Prouinciis suis puerorum animo
 Catechismum & ipse Catholicum statuisset edi-
 dum, ac doctos Theologos, vt id muneris suscipi-
 rent grauius hortaretur, illi nullum commodio-
 rem librum tradi posse, nec magis vtilem affir-
 marunt, (verba sunt ex edicto Regis ipsius Philip-
 pi) Catechismo patris eius Ferdinandi Romano-
 rum, Hungariæ, & Boëmiæ Regis, quem ille hauc
 ita pridem sua autoritate suis tenendum propo-
 fuerat: itaque eum autoritate sua item Philippus
 anno 1557. recepit: omnes populares ad eum le-
 gendum exhortans, vetansq; per Ludimagistros
 Rectores, ac Pædagogos in scholis publice, vel
 priuatim alium præter illum ediscendum propo-
 ni. Nulla ferme Christianæ gentis est lingua, in
 quam versa non sit ea summa, & qua Canisius
 tanquã orbis Christiani publicus Catechista non
 loquatur. Elaborauit deinde (vt infra quoque in
 loco

Elaborata
 editio Cate-
 chismi qua
 eam.

loco significabitur) compendium breuius par-
 uulis duntaxat accommodatum: & primam il-
 lam sæpius recognitam summam, tandem supre-
 ma quasi apposita manu, graui disputatione de
 primi hominis lapsu, deque Iustificatione addita
 anno salutis humanæ, 1566. euulgauit. Quode
 opere, si cui cura sit plura nosse, præfationem pla-
 ne sapientem adeat editioni illi præfixam, quam
 senatui, populoque Coloniensi inscripsit. In ea-
 dem & Ferdinandi, & Philippi perhonorifica li-
 cebit edicta reperire.

Ceterum quantus statim Hæreticos ab Cani-
 fio terror inuaserit, vel inde fit palam. Albertus
 Bauariæ Dux in Conuentu, quem Landeshutæ
 habebat, cum nobilium quidam, comperto la-
 borare Principē difficultate pecuniæ, occasione
 temporis vtendum rati efflagitare cœpissent li-
 beram Lutheranismi professionem proditæ reli-
 gionis mercede collationem vendituri, magno
 Christianoque pectore impia postulata reiecit.
 Tum Hæretici causam repulsæ in Cancellarium
 Bauariæ, & in Canisium contulere; quem iam
 vulgo Canem Austriacum vocitabant, haud sa-
 ne prorsus immerito. Erat scilicet non mitorum
 Canum

*Canisius ter-
 rori Hære-
 ticus.*

*Canis Au-
 striacus
 vocatur.*